

RAYMUNDUS TELLERÍA

ALEXIUS POLLIO S. ALFONSI EPISCOPI SERVUS  
MOX IN EIUSDEM CONGREGATIONE FRATER AC FILIUS

Ubique fere gentium in proverbium transiit notum effatum: Nullus vir aestimatur magni a suo cubiculario. Attamen semper et ubique datae sunt huic effato exceptiones, quarum forse nobiliores palpamus saepe in biographiis Sanctorum. Id saltem contigit S. Alfonso, potissimum a tempore episcopatus usque ad illius obitum. Hanc namque postremam vitae suae periodum, viginti quinque operositatis ac sanctimoniae annos complectentem, posteritati mandarunt testes magis intimi, utpote qui a mane usque ad vesperam praesentes fuerunt in palatio episcopali atque operam quisque suam contulerunt explendis negotiis domesticis aut curis pastoralibus sub immediata S. Praesulis vigilantia. Hinc, opportune iam edito testimonio plurimo secretarii D. Felicis Verzella (1), iuvat quoque illustrare declaraciones vel potius personam alias testis, videlicet Alexii Pollio, qui — etsi conditione humilior — nemini cedit scientiâ de visu adquisitâ, servitii fidelitate ac diuturna intimitate erga S. Alfonsum, cui ex conventu in dioecesim proficiscenti adhaesit ab initio, quem a dioecesi recedentem sequutus est in Nuceriam Pagana- rum, cui denique usque ad mortem praestare perrexit famulatus officia.

Fontes historici non erant nimis copiosi, praeter eos qui Alexius ipse, factus domini sui in Processu (2) atque extra Processum (3) testis ac praeco, nobis potandos reliquerat. Quibus nunc addere fortunate possumus quaedam instrumenta notarilia et archivalia ad illuminandum suae vitae angulum, hucusque minus notum: eius nempe matrimonium, ab illo cursim insinuatum et a coaevis vix memoratum. Quoad cetera, utemur praesertim verbis ipsius Alexii tum ad biographum P.em Tannoia, tum ad iudices Processus Nucerini adloquentis.

I. - *Alexius Pollio conscribitur famulus neo-electi Episcopi.*

Statim ac S. Alfonsus, voluntati Clementis XIII sese subiciens, crucem episcopalem amplecti festinavit, cogitare etiam debuit de practicis novi officii consequentiis, quas inter haud tenebat ultimum locum familia domestica in palatio episcopali constituenda. Huius familiae membrum quo-

(1) Cfr *Spic. hist.* 9 (1961) 373-438.

(2) Proc. Ord. Nuc., III, f. 1006-1261. - Proc. Ap. Nuc., I, 372-584.

(3) AG, XXVII, 8 a-i. Alessio. - Agitur de Alexii declarationibus propositis duplice copia, quarum altera praetermittit nonnullas prioris paragraphos.

dammado inferius, sed minime spernendum, erat servus cui pro temporum necessitate committebantur munia rhedarii et tabellarii aliaque his similia. Idecirco, gravioribus curis Neapoli distentus ante suum iter in Almam Urbem suscepturus consecrationem episcopalem, S. Alfonsus benigne exaudivit suamque fecit supplicationem Dominici Antonii Janella, qui, demortuo Rev.mo Danza antistite Sanctagathensi, servitus sui famulatus obtulit eiusdem successori. Illo igitur rhedario, S. Alfonsus peregit excursionem suam versus Romam et Lauretum ac postmodum redditum in Neapolim ac Nuceriam Paganorum (4).

Hac prima sui aurigae experientia parum contentus (5) mansisse videtur S. Alfonsus, qui palatium Sanctagathense mense iulio an. 1762 tandem occupaturus tulit secum novum famulum: Alexium Pollio, ortu suo neapolitanum, educatione (ut mox declarabunt testes sui matrimonii) sanctagathensem, officio sutorum seu calcearium, aetatis vero annos 20 nondum adimplentem. Ipsem, post quartam saeculi partem, die nempe 20 iunii an. 1788, in processu ordinario nucerino beatificationis S. Alfonsi signavit praembulam declarationem:

« Il mio nome è Alessio Pollio, figlio delli quondam Filippo e Lucia Espositi coniugi. Ho dell'età mia anni quarantacinque in circa... In occasione, che io stavo di abitazione vicino al palazzo di Don Ercole di Liguori, dove era solito portarsi detto Servo di Dio Alfonso Maria di Liguori nell'occasione di venire Egli in Napoli mia patria sin dall'anno mille settecento cinquant'otto, io di unita col sacerdote Don Urbano Cimino, mio direttore, mi portavo da lui a visitarlo per ricevere qualche buon sentimento in ordine allo spirito, facendo io allora l'arte di calzolajo... Sin dalla prima età per divina misericordia ho frequentato li santissimi sacramenti della Penitenza ed Eucaristia ogni settimana..., con avere ogni anno adempito puntualmente al precetto dell'annua confessione e pasquale communione » (6).

Quae quidem Alexii declaratio circa suam commorationem neapolitanam componi debet cum depositione statim alleganda testium sui matrimonii, affirmantium Alexium vixisse ab infantia in civitate S. Agathae Gothorum: inde tamen, saltem post adolescentiam, se Neapolim transtulit ubi opificem agere coepit et sibi conciliavit S. Alfonsi benevolentiam, cuius gratia eidem ex Alma Urbe reduci properavit famulari in adiunctis, quae coram iudicibus Processus ipsem Alexius enarravit:

« Nell'anno poi mille settecento sessanta due, tempo in cui ritornò da Roma dopo che ricevè la sacra consacrazione, fui richiesto di essere al suo servizio, ed io con tutto piacere corrisposi, e l'ho servito per tutto il rima-

(4) Dominicus Antonius Janella, ex oppido Airola ortus, Beneventi an. 1788 famulus, rediit mense novembri huius anni S. Agatham testificaturus in processu ordinario S. Alfonsi. Cfr Proc. Ord. S. Agathae, IV, f. 1551-1571. - Item: Proc. Ap. S. Agathae, IV, f. 1714-1719: ubi (f. 1718) enarrat prodigium pulli decocti (« un pollastro in allesso ») mutati in pisces (« cangiatosi in pesce detto cefalo cotto ») post benedictionem S. Alfonsi intra caenaculum romanum piorum operariorum.

(5) S. Praesul, vixdum ad S. Agatham pervenit, rescriptsit mense augusto an. 1762 fratri suo D. Herculi: « Domenico Antonio [Janella] l'ho mandato via ed il cocchiere anche se ne va, perché non fanno per me ». *Littere di S.A.*, I, 473.

(6) Proc. Ord. Nuc., III, 1006v.

nente di sua vita... Verso il fine del mese di giugno mille settecento sessanta due entrai al suo servizio. Il medesimo alli undici del mese di luglio del detto anno, in giorno di domenica, da Napoli si partì per la sua diocesi, non ostante che li suoi lo dissuadevano di portarsi in quella sì calda stagione nella detta città di Sant'Agata, sì per ragione della mutazione dell'aria, sì per essere quell'aria non troppo sana. Nella città di Maddaloni, diocesi di Caserta, furono ad incontrarlo molti suoi diocesani particolari, galantuomini e religiosi. Entrato poi in diocesi, intesi le acclamazioni, che se li facevano da persone di ogni condizione reputandolo per Santo » (7).

2. - *Alexius Pollio matrimonium init in civitate S. Agathae,  
auspice S. Alfonso.*

Vigilantiae sollicitudinem, qua vir quilibet ecclesiasticus cingere debet parietes suos domesticos, in se ipso acuerat S. Alfonsus a primis episcopatus horis, praescius equidem responsabilitatis, quae pro tuenda Antistitis fama inhaeret cunctis personis familiam aut quasi familiam Praesulis constituentibus, sive intra palatium illae continuo morentur, sive foris in proprio quaeque domicilio, at quotidie ad episcopium accedentes ratione muneric ibidem obeundi. Vigil ideo oculus convertendus non solum ad altiores hospites, sed potissimum ad inferiores: eo vel magis quod isti, famuli nempe ad culinam, munditiam atque stabula addicti, poterant otio marcescere et temptationibus viam sternere, sicuti de facto contigisse memorant testes in processibus S. Alfonsi (8) necnon confirmat P. Tannoia, subdens tanto gregis Pastori non nisi famulos uxoratos placuisse nec ipsum de Alexio Pollio, ceteroquin exemplari, plane contentum fuisse donec hic nuptias sibi conciliavit (9). Ipsemet Alexius, etsi in tertia persona, aperte declarat: « Alessio Pollio giovanetto volle che si fosse casato, ancorche frequentasse in casa, e Monsignore non avesse dubbio in contrario » (10).

Alexii nuptias, hucusque paucis biographorum insinuationibus praeterlapsas, iuvat nunc dilucidare instrumentis sequentibus ex originali fonte compendiatim transumptis:

A. - *Capitula matrimonialia inter Fortunatam de Leone et Alexium Pollio.*

Arch. di Stato, Benevento, Prot. Not., Pacco 7033, Not. Ciardullo Agostino, an. 1766, f. 453.

Eadem die vigesima sexta mensis septembris millesimo septingentesimo sexagesimo sexto S. Agathae Gothorum.

Capitoli, Patti e Convenzioni al nome del N.ro Sig.re Dio, abbiti, initi e stipulati tra Flaminia di Cesarno, vedova del qm. Domenico di Leone di

(7) Ibid., 1007v.

(8) Proc. Ap. Nuc., I, 392v.

(9) « Non ammetteva servidore, che non fosse ammogliato e che in S. Agata non avesse la sua donna. Non aveva cosa in contrario per Alessio Pollio suo servidore; ma perché giovinetto, non restò soddisfatto Alfonso, se nol vide ammogliato ». [TANNOIA], *Vita*, lib. III, c. 8, Napoli 1800, 36.

(10) AG, XXVII, 8 a-i, f. 1.

questa città, la quale agge ed interviene tanto per se, quanto in nome e parte di Fortunata sua figlia...

Ed Alessio Pollio del qm. Filippo della città di Napoli, commorante in questa città...

Sopra il felicissimo matrimonio mediante la divina grazia contraendo fra detto Alessio e Fortunata ... Primieramente la d<sup>a</sup> Flaminia promette che d<sup>a</sup> Fortunata sua figlia abbia da contrarre solenne e legittimo matrimonio con d<sup>o</sup> Alessio ante faciem Ecclesiae... Per contemplazione del quale matrimonio ... d<sup>a</sup> Flaminia promette per l'interi e principali doti di d<sup>a</sup> Fortunata sua figlia la somma di docati sessanta quattro nel modo seguente:

Docati dieciotto in un maritaggio uscito a sorte a d<sup>a</sup> Fortunata, ma delle famiglie numerose, conseguendo dal Pio Monte de' Maritaggi di S. Anna subbito [sic] contratto sarà d<sup>o</sup> matrimonio ... Docati sei conseguenti dalla Ven. Cappella di S. Anna... E docati quaranta nel prezzo e valore di tutto rame, pannamento e dorato contanti prima di contrarsi d<sup>o</sup> matrimonio, da farsene valutare con inserirsi nota nel presente istromento. Però si conviene espressamente che d<sup>o</sup> danaro contante debba impiegarsi per d<sup>o</sup> Alessio in compra o ricompra di beni stabili.

Ed al incontro d<sup>o</sup> Alessio promette contrarre d<sup>o</sup> matrimonio nel modo, forma e termini suddetti... Di più d<sup>o</sup> Alessio ha promesso e promette con giuramento avanti di Noi, contratto sarà d<sup>o</sup> matrimonio e ricevute avrà dette doti, da ora per allora bene e diligentemente le doti suddette tenere, custodire e conservare... Di vantaggio il pred<sup>o</sup> Alessio e a riguardo delli doti suddette, e per amore ed affetto ha detto portare e porta a d<sup>a</sup> Fortunata, da ora per allora ha costituito a d<sup>a</sup> Fortunata assente, ed a me Not<sup>o</sup> per quella presente ed accettante, l'antefato e per antefato in luogo di quarta fa donazione per le nozze sopra tutti e qualsivogliono suoi beni mobili e stabili... E finalmente d<sup>o</sup> Alessio ... da ora per allora promette prestarcelo [suum assensum] come dotale di paraggio...

Praesentibus...

#### B. - *Processus paroecialis ante matrimonium.*

Arch. di Curia, S. Agata dei Goti, Atti Matrimoniali, Lettera P del cognome, v. 19, Int. 133

*Doc.1.* - Testor ego infrascriptus Parochus cathedralis ecclesiae S. Agathae Gothorum tres emisisse denuntiationes ... inter missarum solemnia super matrimonium contrahendum inter innuptos Alexium Pollio, filium qm. Philippi, et Fortunatam Leone, filiam qm. Dominici, meos parochianos, atque nullum oppositum fuisse canonicum impedimentum, quominus...

Datum Sanctagathae Goth. die 21[?] ms. 7bris 1766

Dom. Rossi Par.cus

*Doc.2.* - Die vigesima quarta ms. septembbris 1766 S. Agathae Gothorum, et coram infrascripto Paroco Delegato.

Examinatus fuit testis Nicolaus Razzano, aetatis suae ann.50 hujus

civitatis, testis summarie productus... Io ho conosciuto e conosco li suddetti Alessio e Fortunata: il primo dalla sua fanciullezza d'età d'anni cinque in circa coll'occasione che venne ad abbitare in questa città, la seconda da che è nata sin oggi; e so che mai si sono partiti da questa città, dove presentemente abbitano... Io so che il d° Alessio e Fortunata liberamente e senza timore faranno il matrimonio...

Dom.cus Rossi Par. Del.

Examinatus fuit Bartholomeus Jammaro, aetatis suae ann.60... Io ho conosciuto e conosco li suddetti Alessio e Fortunata: il primo dalla fanciullezza di sua età d'anni cinque in circa coll'occasione che venne ad abbitare in questa città, e Fortunata la conosco dalla sua nascita; li quali mai si sono partiti da questa città.

Dom.cus Rossi Par. Del.

### C. - *Actus paroecialis post matrimonium*

Arch. della Parr. della Cattedrale, Liber Matrim., 1736-1775, f. 63

[*Ad oram:*] Alexius Pollio et Fortunata Leone.

Anno D.ni 1766, die vero 13 octobris, tribus denuntiationibus praemissis... Ego infrascriptus Par.cus Eccl.ae Cath.lis S. Agathae Goth. interrogavi Alexium Pollio et Fortunatam Leone, meos parochianos, de eorum mutuo consensu, eosque mutuo consensu habito per verba de praesenti in matrimonium conjunxi domi; praesentibus testibus can.co Bonaventura Rainone, capp.no D. Crescentio Novello aliisque facientibus fidem.

Uxorem itaque sibi duxit Alexius 24 circiter annos natus hasque nuptias initiv in civitate S. Agathae, absente S. Alfonso, qui a capite dioeceseos recesserat (11). In his documentis occurrunt duo observanda: primum, quod uterque testis processus matrimonialis asseverat sponsos nunquam ex civitate profectos fuisse: quae sane asseveratio, nisi forsan intelligatur de domicilio simpliciter legali aut de domicilio ultimi quadriennii, haud bene quadrat cum declarationibus, quas de se ipso in medium protulit Alexius initio huius articuli; secundum, quod in actu paroeciali scribitur matrimonium contractum fuisse « domi », unde suspiciunt nonnulli intervenisse rationem forsitan occultam ad locum diligendum: suspicio tamen fundamento destituitur, utpote quod formula « domi » comparet non raro in libris paroecialibus illius aetatis, quin prae se ferat quidpiam detrimenti honori nupturientium.

Ceterum, coniugio peracto, Alexius propriam sibi Argentii domum locavit, ubi prostratus infirmitate exceptit pluries Episcopum visitantem ac de conditionibus novae familiae anxiū (12). Coniuges namque postmodum hilarati sunt ex nativitate duarum saltem filiarum, pro quibus S. Alfonsum effudit cordis sui divitias, ut mox indicabimus.

(11) S. Alfonsum ab ultimis septembribus diebus huius anni 1766 defixerat Argentii domicilium, prius transeunter, postmodum permanenter, illudque retinuit usque ad extremas sui gubernii horas. Cfr *Lettere*, I, 611; III, 290.

(12) Meminit Alexius: « Stando infermo Alessio in sua casa in Arienzo, non mancò più volte andarlo a visitare e lasciava del denaro alla moglie ». AG, I. cit.

3. - *Famulatus servitia ab Alexio per tredecim annos emerita  
intra palatum episcopale.*

Tredecim annos continuos mansit Alexius, functurus ad episcopii umbras diversis munib[us], quae sive ab Antistite directe sive ab huius immediatis collaboratoribus ei demandabantur. Enimvero domesticis palatii negotiis praeverat Frater Franciscus Antonius Romito, Congregationis SS. Redemptoris professus, qui S. Fundatori adstabat quasi domus magister, in expensis oeconomus, in infirmitatibus curator, in epistolis privatis amanuensis, in cunctis demum rebus « agibilibus » superintendens minister. In ordine tamen exsecutionis opus erat, tam intra quam extra episcopium, socio subalterno fido, discreto, loci personarumque gnaro, operoso ac solerti, cui cederentur commissiones minutiores et crebro dispares.

Age vero : legationes huiusmodi concreditas esse Alexio atque ab eo ad amussim expletas nos docet ipsem in processibus, fere inscius magni momenti quo aestimandae essent illius notitiae. Ad Episcopi famulum, praeter ordinarios in palatio labores, pertinebat quasi iure proprio : deferre S. Praesulis nuntia oralia vel scripta; comitari (nisi alius dignior praesto esset) gregis Pastorem visitaturum civitatis infirmos vel per ecclesias SS. Sacramentum (13); agere rhedarium S. Antistitis exeuntis deambulatum, vel potius progradientis ex Argentio (Arienzo) ut comminus invigilaret magnificae ecclesiae S. Nicolai exstruenda in pago S. Mariae a Vico (14); excipere palatii hospites eisque pro opportunitate inservire, necnon ab episcopii foribus arcere clientes nimis irruentes atque interdum violentos (15). Et his similia famulatus obsequia.

(13) « Non faceva passar giorno senza visitare il Santissimo Sacramento nella sua chiesa cattedrale stando in S. Agata dei Goti, e nella chiesa collegiale [S. Andrea] stando in Arienzo. Le dette sue visite erano così lunghe, che io, che l'accompagnava, lo lasciava in chiesa solo e me n'andava per i miei affari ». Proc. Ord., 1. cit., f. 1122.

(14) Huius paroecialis ecclesiae initium, continuationem et terminum describit Alexius ingenuis laudibus extollens non solum (ut par erat) S. Alfonsi pugnacem voluntatem, verum etiam ipsius tanquam delineantis et architecti peritiam : « Quale [chiesa] veramente riusci magnifica e capace più di tremila persone secondo il conceputo disegno di esso Servo di Dio, mentre egli pensava di dar commodo a tutta quella popolazione di circa quattro mila anime ». Proc. Ord., 1. cit., f. 1131. Veri tamen architetti, sub immediato afflato S. Praesulis, fuerunt illius amici et filii spirituales DD. Petrus et Salvator Cimafonte, de quibus signanter occupantur instrumenta notarilia nuperrime inventa : « Die 17 novembris 1767 Argentii... Essendo stato richiesto il Dr. D. Alfonso Puoti a dare un sito capace per la pianta di d<sup>a</sup> nuova chiesa..., per le case parochiali da edificarsi..., in tutto servata la forma della d<sup>a</sup> pianta formata dalli Regi ingegneri D. Pietro e D. Salvatore Cimafonte, direttori di d<sup>a</sup> opera ». Arch. di Stato, Caserta, Prot. Not., pacco 1402, Not. Agostino Bernardo, an. 1767, f. 203v. Instrumento adnectitur delineatio originalis cum subscriptione autographa D. Salvatoris Cimafonte. - Ex eodem volumine (f. 174v) trahimus compendiatim : « Die 19 oct. 1767 Argentii. Costituti li RR. Parochi di S. Nicolò Magno D. Matteo Migliore e D. Giovanni Vinc<sup>o</sup> Mauro... hanno asserito come gli anni passati per ordine dell'Ill.mo e R.mo D. Alfonso de Liguori, Vescovo della città di S. Agata de' Goti et Ordinario di d<sup>a</sup> Terra, si dovè principiare la fabbrica della nuova chiesa sotto il tit<sup>o</sup> di S. Nicola Magno, che in visitazione ordinò che si fusse reedificata di pianta, essendo l'antica in stato cadente et incapace del numero dell'anime alla medesima addette...: si unirono detti RR. Parochi coll'università de' casali di S. Maria a Vico e Figliarino per fare un pieno di rendite... » - Cfr etiam : Spic. hist. 9 (1961) 506 (nota 28), 510 (nota 35).

(15) Prae aliis casum evocavit Alexius cuiusdam rhedarii, nomine Micaletto, qui effractis palatii foribus in eo erat, ut sese vindicaret contra S. Pastorem, cuius correctiones paternas noluerat ferre. « Il Signore, concludit Alexius, mi diede lume, che facessi io finzione di metter mani alla sacca, dove tenevo la chiave della dispensa; nè far questo gesto, colui si pose in fuga ». Proc. Ord., 1. cit., f. 1201.

Silentio praeterire nequimus duos Alexii interventus sueto graviore, innexos historiae S. Alfonsi. Primus respicit huius renuntiationem mitrae Sanctagathensi seu melius propositum tentandi voluntatem Clementis XIII super renuntiatione an. 1767 facienda, at de facto valde probabiliter non correcta. Huius negativae solutionis responsabilitatem assumpsit sibi Alexius declarans se, de renuntiatione exhibenda edoctum eidemque aversum, subripuisse folium originale a S. Antistite signatum illudque penes se tandiu conservasse, donec viginti annis elapsis depositus « pretiosam reliquiam » (sic ipse documentum compellat) inter manus iudicium, qui illius fidele transumptum in ordinario processu Nucerino insertum voluerunt (16). Quae sane agendi ratio, etsi fine plus minusve recto explicabilis, inurit servum nota temeritatis et audaciae.

Exadversum albo lapillo signamus eiusdem testimonium super sic dicta S. Alfonsi bilocatione, quando Clementi XIV animam iam efflanti adstitit S. Praesul ex Argentii episcopio. Duo tamen animadvertere iuvat: primum, quod tantae molis factum ex Alexii memoria dilapsum fuisse dices tempore processus ordinarii (1788), illapsum autem illius memoriae recurrente processu apostolico (1797); secundum, quod famuli attestatio directa respicit initium et continuationem mysteriosi somni, quo per duos propemodum dies S. Alfonsus immersus ab illo describitur, minime vero comprehendit prodigii exitum seu finem, quia fortuito hac hora aberat ille; nec attingit somni explicationem, qualem expresse in eodem processu apostolico (17) retulit P. Tannoia, cui utpote aliorum testium examinatori transmisit Alexius in sua declaratione sponzionem super verbis a S. Antistite prolatis postquam e sopore prodigioso expergefactus est.

Profecto considerationes nostrae criticae nequaquam pessumdat factorum substantiam, quae ex Alexii obiectiva testificatione ortum duxit et ansam postmodum praebuit notis controversiis historicis super huius bilocationis adjunctis.

In his haud immorabimur. Interventus Alexii, cui Vicarius Generalis iusserat ne Episcopum sotipitum excitaret, sed continentि vigilantia praecin-

(16) « Nell'anno poi mille settecento sessanta sette, dopo una grave infermità, il Servo di Dio fece un'altra lettera al Papa, in cui lo pregava di accettare la sua rinuncia. Prima di mandarla la nascose dentro un' sportellino, in cui teneva Egli l'istrumenti delle sue penitenze: casualmente mi venne fatto di trovarla e leggerla: ma dispiacendomi che Egli rinunciasse la sua Chiesa, furtivamente la tolsi e me la conservai, come tutt'ora la conservo, come preziosa reliquia. Il Servo di Dio non avendola trovata, non disse cosa alcuna... Ho stimato trascriverla tale quale Egli la dettò e fù da lui sottoscritta, ed è del tenor seguente ». Ibid., f. 1115. Textus editus fuit in *Lettere di S.A.*, I, 621. Super hac non remissa S. Pontifici renuntiatione et super aliis de facto exhibitis S. Alfonsi demissionibus, cfr TELLERIA, *Vida*, II, Madrid 1951, 135-139; 362-363. Cfr etiam *Spic. hist.* 9 (1961) 325 (nota 2), ubi tamen inadverterenter asseritur me praetermississe renuntiationem anni 1767. - Ceterum aperta manet discussio secundaria quoad tempus et numerum atque effectivam renuntiationum praesentationem.

(17) « In Arienzo... verso l'anno mille settecento settanta quattro stiede Egli circa due giorni seduto sopra una sedia di riposo chetamente e profondamente dormendo: tanto che io, che lo assisteva, non ebbi lo spirito di sveglierlo, e col consiglio del suo Vicario Generale Don Giovanni Nicola de Rubino, che m'impose di non sveglierlo, ma da starci attento: dopo questa dormizione di circa due giorni, svegliatosi giusto nel tempo, che non mi trovai presente, disse queste parole... Voi vi credevate che io dormiva, ma no! Io ho assistito il Papa Clemente decimo quarto, il quale è già morto ». Proc. Ap. Nuc., I, 402. Alexii testimonium trutinandum ac commisendum est cum aliis testibus, quos directe P. Tannoia interrogavit ac de quorum responsionibus ipse fit sponsor in processu apostolico Sanctagathensi. Vol. I, f. 402 ss., necnon in: *Vita*, lib. III, c. 55, Napoli 1800, 283.

geret, satis commonstrat quemadmodum ipse, etsi propria familia ligatus, exiguae pariter familiae Antistitis accensebatur perinde ac unum ex illius membris, cum quibus ac Episcopo praeside solitus erat noctescente die rosa-rium B.M.V. recitare (18). Quae mariana recordatio nos impellit, ut ex oblivione reducamus colloquium illud fiduciarium, quo S. Praesul Neapolitanus 1767, simulacrum B.M.V. de Mercede visitans, insinuavit in aures servi fidelis: « Alessio: In questa chiesa fù la mia chiamata » (19). Coram illa etenim sacra Icone deposuerat olim S. Alfonsus equitis neapolitani ensem ac recedens a tribunalium ac fori clamoribus incesserat via sanctuarii, pro Christo et pro Ecclesia dimicaturus usque ad vitae exitum.

4. - *Alexius, demortua uxore, ingreditur Institutum alfonsianum ac pergit S. Alfonso famulari.*

Postquam die 27 iulii an. 1775, gregi suo peramanter valedicens, S. Alfonsus sese commisit itineri ut Nuceriae Paganorum ultimum vitae suaे duodecennium coronaret, haud plane constat utrum secum duxerit Alexium, deinceps procul a sua familia commoraturum. Agitur de commoratione permanente et continua, quae de facto quasi abrumperet legamina cum sua familia longinqua. Nisi velis supponere translatum quoque fuisse Nuceriam domicilium uxoris, prout quadamtenus erui videtur ex epistola, qua S. Alfonsus die 20 septembribus an. 1779 transmisit Argentum supplicationem Alexii sibi ad aures dicentis egere dotibus recuperandis uxoris, lecto astrictae ob diuturnam infirmitatem (20). Nec desunt qui opinentur Alexii coniugem ex hoc gravi morbo haud convaluisse, sed morti eodem anno aut non multo post occubuisse.

Quidquid hac de re sit, uxorio tandem vinculo solutus, maluit Alexius adscisci Congregationi alfonsiana, sive ut vir laicus « oblatus », sive (ex aliorum opinione) tanquam eiusdem professus, etiamsi desiderentur in catalogo primigenio vestigia novitiatus peracti et professionis emissae. Suam namque Congregationi adscriptionem fassus est ille coram iudicibus in praemissa declarazione processus ordinarii nucerini, signata die 20 iunii an. 1788: « Sono fratello laico di questa casa di S. Michele arcangelo de' sacerdoti secolari della Congregazione del Santissimo Redentore, fondata dal Servo di Dio Alfonso Maria di Liguori, un tempo Vescovo di S. Agata de' Goti » (21).

(18) « La sera il Servo di Dio si faceva un'altra mezz'ora di orazione mentale col detto Fratello [Francesco Antonio], indi poi in commune colla sua picciola famiglia, dove intervenivo anch'io, si diceva il rosario, dandone il segno colla campanella, gli atti cristiani, l'esame della coscienza, litanie ed altri divoti prieghi, poi si andava alla cena ». Proc. Ord. Nuc., III, f. 1241.

(19) Proc. Ap. Nuc., I, 517v.

(20) « Don Marcantonio mio: mi dice Alessio che il vostro Sig. fratello D. Fabrizio tiene in suo potere certi atti, fatti fin dall'anno passato in cotesta corte di Arienza per le doti di sua moglie, che deve ricevere da più tempo da Ludovico di Addio. Mi farà grazia impegnare esso vostro Sig. fratello, che veda come può fare per recuperare coteste doti, mentre Alessio sta in necessità, tenendo a letto la sua moglie da più tempo ». Lett. di S.A., II, 507. Ex epistola contextu eruere volunt nonnulli uxorem Alexii Nuceriae habitasse: secus videretur crudelis episcopus, qui famuli servitiis uti pergeret, nullo habito respectu ad huius uxorem aegritudine oppressam. Epistolae destinatarius erat D. Marcus Antonius di Ambrosio, Argentii sacerdos, ex caritate medicus, mox canonicus et in S. Alfonsi processu ordinario Sanctagathensi testis. Vol. II, f. 883-948.

(21) Proc. Ord. Nuc., III, f. 1006v. - In aditu declarationis (f. 1002v) scribit actuarius:

Ad capessendam vero vitam claustralem non processit Alexius nisi postquam, S. Alfonso adiutore et consiliario, viam sibi explanatam invenerat ut duabus filiabus vivendi modum, pro cuiusque vocatione, securum redderet: primam equidem puellam, apud moniales SS. Redemptoris civitatis S. Agathae susceptam, commendavit superiorissae S. Alfonsus die 4 octobris an. 1780 non solum pro ingressu, verum etiam pro maiore erga ipsam exercenda benevolentia quoad educationis expensas (22): quin etiam, transactis quattuor annis, instituit ipse denuo coram sanctimonialibus, ut candidatam habitu religioso sine mora vestirent, unde refunderetur plenior laetitia in humilem patrem famulumque, erga quem S. Senex aegre celabat animi sui grati miserationem: « Non mi fido, ait, di vederlo afflitto: vorrei vederlo all'intutto contento prima che me ne muoia (23). Re quidem vera reliquit illum animo serenum, immo laetabundum, quia primam filiam inter sorores conversas SS. Redemptoris praemisit, alteram autem filiam matrimonio destinavit (24), profecto ea dotis portione, quae ex S. Alfonsi testamento adsignata fuit tali servo bono et fidi.

Cuius benevolentiae plurima signa mirabitur nemo, qui secum reputaverit S. Alfonsum, indole sua memorem beneficiorum, memoriorem quoque fuisse sub afflato divinae gratiae, quae ipsum alliciebat ut in famuli sui obsequiis ac servitiis consideraret Providentiae divinae largitatem. Proinde servi sui abnegationem rependebat ille vicissim fiduciâ plena, colloquendi familiaritate et generosa cordis effusione, per testamentum mox translata in donationem pecuniae sat conspicuam.

Alexius vicissim dignum se praebuit, qui his largitionibus moralibus ac materialibus Episcopi senescantis compensaretur; eo vel magis, quod illius servitia, nedum lapsu temporis minuerent, in dies fiebant graviora ac minus comportabilia, propterea quod decrescente corporis vigore sibique subveniendi facultate indiguit S. Alfonsus octogenarius ac nonagenarius bracchio alieno ad supplendas vires, quibus gradatim usque ad extremas destitutus est.

---

« Postulator... induxit in testem examinandum Fratrem Alexium Pollio, Laicum dictae Congregationis Sanctissimi Redemptoris, testem omni exceptione maiorem ». Idem actuarius utitur identica formula pro teste sequenti Fratre Francisco Antonio Romito, nisi quod praeponit vocem « Reverendum »: « Postulator... induxit in testem examinandum Reverendum Fratrem Franciscum Antonium Romito, dictae Congregationis laicum » (f. 1259v). Nihilominus textus mox (nota 31) allegandus mentionem facit de novitiatu, minime autem expresse de professione: unde quoddam dubium perstat.

(22) « Sento ancora che entrerà nel medesimo giorno la figlia di Alessio. La raccomando alla tua carità; e se mai potesse V.R. farle qualche agevolezza, stante la strettezza in cui si ritrova Alessio per la spesa che gli corre, l'avrei molto a caro ». *Lettore*, II, 556.

(23) *Ibid.*, 656.

(24) « In causa mia propria me ne diede chiari ed evidenti argomenti [*caritatis erga proximum*], mentre in più volte mi contribuì la somma di ducati circa duecento per collocare onestamente due mie figlie: una delle quali, come dissi, si è vestita monaca conversa nel monistero del Santissimo Redentore della città di S. Agata del Servo di Dio fondato, e l'altra per maritarsi, siccome già si trova in stato prossimo, essendosi già fatti i Sponsali con un'onesto giovine di detta città ». Proc. Ord. Nuc., III, f. 1165. - In grati animi signum S. Alfonsus die 20 octobris an. 1775, dum condidit suum testamentum, apposuit hanc clausulam, mox codicillis renovatam: « Item, il suddetto Ill.mo Sig. D. Alfonso testatore lascia a beneficio di Alessio Pollio suo servo la somma di ducati 56 e grana 87 contenuti in una fede di credito di simil somma per il Banco di S. Maria del Popolo in data 2 gennaio 1775, da pagarseli subito venuta la sua morte: e questo in contracambio delle buone servitù l'ha fatto; e così ha legato ». KUNTZ, IX, 73; cfr etiam *S. Alfonso de Liguori. Contributi bibliografici*, Brescia 1940, 251.

Bracchium porro sibi pretiosum, semper assiduum ac vicinum, pedissequi Alexii diu noctuque indigitare ille potuit, quin huius indolem mitem ac fidelem unquam defatigaret.

Primis post redditum in Nuceriam annis usus est Alexio rhedario ac socio ad breves deambulationes, quas ex medici praescripto agebat per Nuceriae circuitum et quarum occasione parvulos ad S. Praesulem accurrentes atque ab eo benedicendos excipiebat Alexius (25). Postmodum, senio in dies magis gravatus atque intra duas cellas fere latibulatus, inde ad immediatam contignationis circuitionem prodibat S. Alfonsus, insessus sediae « curuli » rotali, quam Alexius nimio affectu summaque suavitate a tergo convehebat (26) : quin etiam, iisdem ac S. Senex flammis devotionis Alexius adustus erga Christi passionem, huius viam crucis recolebant per stationes in circuitionis muro appensas (27), quibus uterque, spirituali aequa hac humana consuetudine ad invicem devinctus, subiungebat devotionis eucharisticae exercitia, sive dum sacrum missae sacrificium ad altare cubiculi episcopalnis celebrabatur, sive cum ex eodem cubiculo in SS. Sacramentum, absens tanquam praesens, instituebatur visitatio specialissima quotidiana (28).

Ad haec, ex parte Alexii suscipiebantur plurima officia minutatim obeunda a mane usque ad vesperam, immo et noctu, ut S. Fundatoris incommoda leniret: hinc sive per se, sive ad nutum Fr. Francisci Antonii medicinas porrigeret aut applicare: hinc aegroti schedulas vel orales communicationes deferre aliis communitatis membris amicisve externis eorumque responsa excipere et fideliter Praesuli senescenti transmittere: hinc denique semper animo prompto hilarique esse, ut in corporis animique angoribus sedulo invigilaret somno, mensae, precibus, missae, communioni, visitatoribus, tabellioni, et sic porro, usque ad extremum mortis periculum, quo instante et post SS. Viatici ministrationem sanctus moriturus, sui plane compos, peramanter solvit grati animi debitum: « Ricevuto, ait Alexius, che Egli ebbe il Santissimo Viatico, io lo ristorai con un poco d'acqua per la gola, e dopo presala il Servo di Dio si vide un poco più sollevato, per cui io col Fratello Francesco Antonio Romito dissi al medesimo: Monsignore, vi abbiamo servito per tanti anni; ora, che andate a godere Gesù Cristo in paradiso, benediteci e pregate Gesù Cristo per noi. Egli rispose: Sì, Signore; poi alzò la mano e formò la croce colle parole della benedizione, che danno li Vescovi

(25) Ibid., f. 1110. Subiungit quod matres nucerinae accedebant ad S. Michaëlis conventum, ut Alexius ipsarum infantulos sustolleret a S. Alfonso in sua cella benedicendos: « Li portavano ancora bambini avanti la portaria ... ed io li prendeva dalle braccia delle madri e gli portava a lui sopra il suo quartino, ed Egli colla sua solita carità li benediceva, e colla impostazione delle mani in testa li risanava, ed io scendeva di nuovo detti bambini alla portaria e li riponeva nelle braccia delle loro madri, e questi furono in tanto gran numero, che in tanti anni sino alla sua benedetta morte giunsero a migliaia ». Ex opposito enarrat (f. 1226) S. Praesulem quasi reieccisse Argentii filiolam duodenem Alexii: « Non ce la portare più ». Ratio erat evidens: quoniam id temporis morabatur Argentii, nolebat puerulam hic illuc discursantem per diversas palatiis mansiones.

(26) « Portandolo io in una sedia armata di ruote per li corridoi di questa Casa ». Ibid., f. 1123.

(27) « Dopo la rinuncia del Vescovado faceva Egli con tutto fervore l'esercizio della Via Crucis..., sostenendolo io, perchè non poteva Egli solo per la sua debolezza reggersi in piede ». Ibid., f. 1128.

(28) « Quando poi non poteva calare in chiesa, se la faceva nella stanza, leggendosi, o dal Fratello suo compagno o da qualche Padre, il libro da lui composto, in cui si contendono le visite al Santissimo Sacramento per ogni giorno del mese ». Ibid., f. 1122v.

nel Pontificale: Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper » (29).

5. - *Frater Alexius in Processibus S. Alfonsi testis omni exceptione dignior et usque ad suam mortem praeco illius virtutum.*

Post S. Alfonsi obitum (1787) Frater Alexius vixit adhuc quartam saeculi partem, adeo ut inquis rerum publicarum eventibus superatis ipse ad superna caeli gaudia vocaretur (1813), cum iam iam illuxerat spes indubia proximae beatificationis S. Alfonsi (1816). Hanc ergo vitae suae periodum, intra obedientiae religiosae limites, dicavit Alexius potissimum promovendae Causae servi Dei Alfonsi, sive maneret ille Nuceriae prope S. Antistitis sepulcrum, sive procul ab ipso munia Fratris obiret Tropeae aut in hospitio neapolitano. Eius namque praesentiam in his locis connotant documenta, quin pressius designent utrum agatur necne de commoratione temporanea, diuturna aut successiva.

Enimvero domicilium suum nucerinum ipsemet Alexius memorat adserens se, quo tempore ad S. Michaelis habitabat (« In tutto il tempo che fui di stanza in questa casa di S. Michele »), sepulcrum dilecti S. Fundatoris quam saepissime visitasse atque ab eo expostulasse frequens auxilium in necessitatibus spiritualibus ac temporalibus (30). Hanc declarationem dum in processu apostolico nucerino an. 1797 signavit, affirmat se in domo SS. Nominis Iesu Tropeae fungi munere sacristae ac ianitoris: quae quidem affirmatio, nisi intelligatur de temporanea illius adscriptione collegio Tropeano, obscurat traditionem scriptam (31), cuius mandatores retulerunt posteritati Fr. Alexium ab anno 1790 usque ad 1810 Neapoli substitisse in hospitio Congregationis SS. Redemptoris.

Eiusmodi hospitium, nusquam historica indagine sufficienter illustratum, nihil aliud erat quam contignatio superior palati aviti D. Dominici de Liguoro, cuius donatio testamentaria transmissa fuit in enphyteusim D. Hercule de Liguoro, S. Alfonsi fratri atque heredi (1754). D. Hercules de Liguoro, iteratis S. Fundatoris precibus (32) annuens, missionariis redemptoristis cessit quoad usum partem huius palati, scala propria atque independenti munitam, ubi Congregationis alumni Neapoli transeunter vel stabiliter praesentes iussi erant pernoctare (33). Aequum tamen ducimus praemonere quod, vita functis DD. Hercule et Caietano (34) de Liguoro, S. Alfonsi fratribus, Congregationis hospitium una cum toto palatio subiisse fortunae iacturas, quae sub finem saeculi XVIII ac primis annis saec. XIX oppresserunt D. Iosephum de Liguoro, S. Alfonsi nepotem ex fratre D. Hercule: iisdem sci-

(29) Ibid., f. 1250.

(30) Proc. Ap. Nuc., I, f. 410.

(31) Huius traditionis folium antiquum exscribit P. Kuntz (XVII, 262) hac forma: « Dopo suo noviziato fu mandato a Tropea, la quale fondazione si fece nel 1790. In Tropea durò pochi mesi, perchè essendo necessario un Fratello nel nostro ospizio di Napoli, egli fu scelto per tale impegno, perchè pratico della città e conosciuto abile per le incombenze ».

(32) *Lettere di S.A.*, I, 470; II, 351.

(33) Ibid., II, 395.

(34) D. Hercules obiit Marianellae die 8 sept. an. 1780; D. Caietanus an. 1784 Neapoli, et quidem in hoc palatio ubi degebait apud D. Iosephum de Liguoro, nepotem suum ex fratre D. Hercule.

licet annis, quibus in praefatis documentis promittit Fr. Alexius tanquam hospitii administer et custos.

Ultra hospitii administrationem et custodiam inerat illi dulcior sarcina cooperandi cum iis, qui ex regni centro navabant confovendae S. Alfonsi beatificationi multiplicem operam: diffundendo scilicet S. Praesulis scripta atque effigies, auscultando testes super virtutibus aut prodigiis, aceryando eleemosynas pro exarandis processibus necessarias. Cuncta Fr. Alexius exequiebatur sub Postulatoris auctoritate, at praesertim sub ductu sacerdotis D. Salvatoris Tramontano: is equidem ex suis natalibus neapolitanus, sed ex familia nucerina oriundus, prosequebatur ab adolescentia maximo affectu venerationeque S. Alfonsum, cuius virtutes testatus est in processu ordinario nucerino (35) et ad cuius causam beatificationis provehendam sese devovit, nullis parcens sumptibus aut laboribus. Hunc in finem abunde usus est Fr. Alexio comite et adiutore, cui utpote scribendi nescio manum porrigebat tanquam scriba seu secretarius (36).

Ceteroquin, qua fruebatur aura populari processus alfonsianus, eodem gradu Fr. Alexius experiebatur quotidie sibi patere cunctas urbis neapolitanae domos, procerum aequae ac pauperum, statim ac ipse tanquam tesseram suae identitatis praeanuntiabat se famulum egisse servi Dei Alfonsi de Liguoro (37). Perplacebat enim cunctis exaudire ex ore suo semplici, at in hac materia praedito naturali facundia res gestas et prodigia tanti Viri, quem unanimi corde venerabantur quasi civium singulorum benefactorem ac regni universi honorificentiam. Nec leve aedificationis piae argumentum desumebant ex exemplis et sermonibus eiusdem Fr. Alexii, quem saepissime in viis plateisque obvium habebant, descendenter ex hospitio in suburbio Virginum usque ad ecclesiam S. Georgii piorum operariorum, vel ascendentem per clivum « Sinensium » ad collegium S. Familiae vel denique accedentem ac ecclesias, in quibus iuxta ritum circularem celebrabatur Quadraginta Horarum solemnitas eucharistica.

Interim lento gressu appropinquavit Fr. Alexio senecta, circumamicta corporis doloribus atque infirmitatibus; quare Rev.mus P. Petrus Paulus Blasucci, Congregationis superior generalis, misit Neapolim P.em Franciscum Alfano, qui secum Nuceriam advehheret aegrotum Fratrem: is, praenota superiorum voluntate, valedixit piis operariis atque speciatim suo confessario Revmo P. Philippo Canfora et die 9 ianuarii an. 1810, a P. Alfano in rheda confortatus, petiti Nuceriam prope S. Alfonsi sepulcrum moriturus. Attamen dies obitus procrastinatus est in sabbatum 23 ianuarii an. 1813, invocata a moribundo protectione S. Alfonsi hisce fiduciae verbis: « Cirasiello mio, Monsignor mio, Cirasiello bello, aiutami » (38).

(35) Proc. Ord. Nuc., III, 1446-1500. Huius testis adserita magni ponderantur, utpote fulcita documentis et connexa cum aliis viris S. Alfonso coaevis, v.gr. cum Ven. D. Mariano Arciero.

(36) « E' vero: egli non sapeva scrivere, ma il degnissimo sacerdote napoletano D. Salvatore Tramontano gli faceva le lettere e rispondeva alle cose ». KUNTZ, XVII, 262.

(37) « Era grande la stima e venerazione che godeva Alessio in Napoli. Ovunque compariva, aveva per così dire porta aperta. Nelle case de' principi e de' magnati bastava che si passasse la voce esser venuto il servo di Mgr. Liguori, per darli ingresso ». Ibid.

(38) Ibid. « Cirasiello » est vocabulum dialectale, quo familiariter exprimitur fiduciosa cordis affectio. Iuxta dialecti peritos idem valet ac *cerasiello* (*cilieggiuolo*, hispanice *cerecillo*) et applicatur ei qui, in alto positus, preces aliorum suscipit. Cfr R. ANDREOLI, *Vocabolario napoletano-italiano*, Torino 1887, 159. Item A. ALTAMURA, *Dizionario dialettale napoletano*,

Septuagenarius ergo vitam cum morte mutavit, plene conscientius se post mortem S. Alfonsi partes explevisse, quae ipsi a Providentia erant reservatae ut suo testimonio in lucem proferrentur virtutes heroicae a S. Episcopo exercitiae intra senectutis ambitum (39). Si enim card. Newman, in suo *Diario Spirituale*, fatetur maiorem sibi admirationem provocasse viros sanctos aetate sera, quam iuvenili, defunctos (40), id ipsum a fortiori concludare teneretur coram S. Alfonso, cuius plurimi senilitatis anni habuerunt suos testes seu melius notarios, quorum humilior, sed non minus pretiosus exstitit Alexius Pollio.

---

Napoli 1956, 101: *Cerasa..., l'amico cerasa*: di persona sottintesa, ma ben nota all'interlocutore ».

(39) Ex plurimis dictis et factis ab Alexio memoratis et in praesenti articulo omissis, hoc unum excipimus in quo mutua S. Praesulis atque pii servi familiaritas innotescit. « Sono soliti, narrat Alexius, i PP. di Montervergine celebrare in Arienzo nella lor chiesa di S. Giovanni la novena di S. Giuseppe coll'esposizione del Venerabile... Monsignor, avendointeso che vi era concorso di popolo specialmente nella domenica, fè sentire ai PP. di volerci andare a sermocinare... Monsignor volendo profitare faceva prediche di materia. Alessio, come che divoto del Santo, gli disse una volta che avesse detto qualche cosa di S. Giuseppe. Disse Monsignore: Io voglio che si levi il peccato, e non si offendano Dio ». AG, XXVII, 8 a-i.

(40) « Il poeta greco, già vecchio, fa allusione a questa vecchiaia poco amabile. I vecchi hanno l'anima rinsecchita, magra, esangue, come il loro corpo, a meno che la grazia non li penetri e li addolcisca. Ma occorre un torrente di grazia. Sempre più ammiro i santi attempati. S. Luigi Gonzaga, S. Francesco Saverio o S. Carlo non sono niente di fronte a S. Filippo ». Card. NEWMAN, *Diario Spirituale* (versione di G. Barra), Pinerolo 1950, 17.